DE PRAECIPUIS NEVROSIUM CAUSIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Girolamo Definis

DE PRAECIPUIS
NEVROSIUM CAUSIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

LAUREAM MEDICAM

OBTINENDAM

PUBLICE PROPONIT

HIERONYMUS DEFINIS

DALMATA BRACHIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXV

ANDREAE THOMAE DEFINIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

FILIUS OBSEQUENTISSIMUS

S. P. D.

Expectatissima tandem dies advenit, qua scholasticis curis solutus, propositam mihi metam contingere, optatamque cingere laurum licet. At nonne tibi, Patrum optime, illius dicare fructus fas erit? Nonne ipsam Tu agro commisisti? Tuis nonne curis adjutus, Tuaque quasi manu ipsa in excolenda fui ductus? Puerilibus adhuc ludis oblectabar, cum Tu ad ipsam respiciens, me a ludricis invitum abducebas, ipsamque proponebas colendam. Ad ipsam respiciens me puerum, maternis ab amplexibus avulsum, Tuo nec absque dolore, sicco neque oculo, fragili navi

commissum, incertas secare undas, orasque adire longinquas jubebas; ut quam patria non dabat, alibi artem ipsam ad nutriendam compararem. Nec tuae tantum sollicitudines, consiliaque ad opus incitabant; exemplum enim Tuum in tam celebri arte excolenda, et nomen quod per hominum ora nec novum nec sine laude resonare audiebam, animum juvenilem omnem ad curam impendendam movebant, ne gloriam per Te partam amitterem: Tuisque incedens vestigiis laurum hanc expetebam, quam et floribus decoram, fructibusque satis onustam cogitatio fingebat. Jamque ipsa excrevit, primumque jam protulit fructum. Quicumque hic sit, Tu lubens excipias, et novam hanc hodie mihi laetitiam addas; haud enim injucundum filio est amanti, si patri possit dicere: non tua Te spes est frustrata, non tuus sine fructu labor excessit. Vale.

Sicuti homo, cui sublime os datum, cui caelum tueri jussum fuit, erectosque ad sidera tollere vultus, cui divinus quidam ignis ingenii et mentis inest, ceterorum animalium princeps, jure meritoque dicitur et habetur; ita nervosum systema, sive constructionis ipsius excellentia, sive functionum dignitas consideretur, ceteris humani corporis partibus, quam maxime praestare evincitur. In hoc systemate organisatio perfectionis culmen attinxit, resque materiales cum rebus intellectualibus atque moralibus nexu revera mirando nectuntur. Et recte quidem celeberrimus Bonet, centrum hujusce systematis contemplans, admiratione perculsus, exclamavit: »Tout ce qu'il »y a de grandeur et de beauté dans le globe du »soleil, la céde sans doute, je ne dis pas au cer»veau de l'homme, je dis au cerveau de la mou»che ». Quo magis vero hoc systema evolvitur, complicatur, eo magis animal a vegetabilium conditione distat; eo magis caeco instinctu firma

praepollet ratio; eo magis totius corporis vita ab illo systemate regitur atque in illo coit. Insensili gradatione tali pacto ex polypo, in quo exigua et imperfecta systematis nervosi vestigia inveniuntur, transitus fit ad animalia classium superiorum, denique ad hominem, qui in systemate nervoso, ut ita dicam, fere omnino vivit. Utinam vero hoc systema ad vitam atque valetudinem servandam regendamque dicatum, tyrannicum morborum imperium aufugere posset! Sed contra delicatula illius structura, functionum multiplicitas, quibus praeest, causarum morbificarum frequentia, quibus status praesens societatis, artium scientiarumque progressus ansam praebent, efficiunt, ut supremus hic humanae vitae moderator frequenter morbo afficiatur; tunc omnis corporis pars in discrimen inducitur, vitalis solvitur harmonia, vita in suis ipsis radicibus intentatur. Quantum idcirco medico interesse debet exacta et profunda morborum nervosorum cognitio! Sed res votis non respondet; nullum est corporis systema, cujus studium magis neglectum fuerit, cujus vitae tum physiologicae tum pathologicae rationes adeo spissis tenebris fuerint obvolutae. Cujus negligentiae atque ignorantiae causae in subtilissima organica illius textura, atque in sublimitate functionum illi creditarum, sensuum atque mentis humanae

aciem exsuperantium, certe ex uno latere locandae veniunt. Sed principia theoretica atque systemata medica, quae variis temporibus invaluerunt, suam quoque contribuisse symbolam judico. Et revera spiritualistarum secta, qui principio alicui ignoto, abstracto functiones vitales subjecerunt, progressus nevrologiae retardarunt; quidquid enim huic principio concessum fuit, systemati auferebatur nervoso. Nec minus infensa fuit metaphysicorum in nobiliores medicinae possessiones invasio, qui sibi ipsis examen studiumque facultatum mentalium advocarunt, systema nervosum tali pacto nobilioribus attributis exuendo. Hisce adjunge illorum physiologorum errorem, qui, effectus cum causis confundentes, in organis vitae vegetantis pathematum atque adfectionum sedem locare non dubitarunt. Quid ergo systemati nervoso remanebat? Cur medici illius studium indefessa prosequi debebant sollicitudine? Sed summi viri extremis hisce temporibus profecto non defuerunt, qui immensum hoc vacuum explere tentarunt, qui anatomen et physiologiam hujusce systematis ad illius perfectionis gradum evehere conati sunt, qui ceteris respondeat medicinae atque scientiarum physicarum progressibus. Quod si adhuc metam exoptatam non attigerint, hoc certe rei ipsius difficultati tribuendum est; ferrea nempe manu illud

velamen tenet natura, quo opera perfectiora organisationis abducit; tamen eo processerunt, ut jure homines se illuc pervenisse jactare possint. Et quod ita sit, cum mihi per leges academicas officium disserendi imponatur, nonnulla breviter de praecipuis causis morbificis hujusce systematis dicenda proposui. Non me certe ridicula allicit spes in argumento tam difficili, scientiae in limine vix locatum, aliquid novi proferre posse; sed hoc argumentum selegi, ut vobis, Professores celeberrimi, publicum testimonium praeberem, me semper inter studia medica illa praedilexisse, quae majorem utilitatem complectuntur. Optimo igitur desiderio atque infirmis viribus solita benignitate favere velitis.

Nevroses classem morborum constituunt, qui systema nervosum adfligunt. Sed non omnes morbi hujusce systematis, strictiori sensu, ad hanc pertinent classem. Ubi constans detegitur alienatio organica, quae sufficientem phaenomenorum morbosorum causam includat, ibi nevroseos excluditur idea. Nemo certe encephalitem inter nevroses recensebit. Nevrosibus contra, qua character patognomonicus, competit actionum vitalium perturbatio, quae laesioni organicae non respondet. Hic verum quaestio moveri potest, an morbi hujuscemodi adsint? Extremis nempe hisce temporibus (quid enim novitatis cupiditas

non tentavit?) nevrosium omnium causam in irritatione vel inflammatione nonnulli statuere ausi sunt, uti Broussais et doctrinae sic dictae contrastimuli asseclae. Et jam usque ab aera browniana bipolaris diatheseos theoria systema nervosum e propriae dignitatis fastigio dispulerat, et a studio morborum nervosorum mentes amoverat. Et revera quid interesse poterat, specialem hujusce systematis dispositionem agnoscere, illius peculiares tum vivendi, tum aegrotandi modos investigare, illis, qui in statum exaltamenti solummodo haerentes, illius exaltationes atque depressiones generales, et per totum organismum aequa ratione diffusas exclusiva prosequebantur sollicitudine? Sed mentes, non amplius tanta vertigine obnubilatae, deplorandos saeculi transacti errores vitare sciunt; systemati nervoso propria restituta est dignitas, morbisque nervosis proprius in nosologiis denuo concessus est locus, per opera praesertim, quae recentissimo tempore Rolando, Gall, Magendie, Brachet, Lobestein, Georget, Dubois, Pucinotti etc. ediderunt. Tantaque veritatis est potentia, ut etiam discipuli broussaisianae scholae proprii magistri sententiam essentialiter modificaverint. Celeberrimus Roche nevroses irritationi quidem tribuit, sed irritationi nervosae; asseruit plures nevroses cum nulla mutatione organica sensili concomita-

ri; illas mutationes instrumentales, quae quandoque inveniuntur, alii irritationis generi, nempe phlogisticae tribuendas esse; nevrosim classem morborum distinctam constituere. Quapropter supervacaneum sub praesenti rerum statu judicamus nevrosium existentiam argumentis extra dubium ponere, cum fere omnes medici in hoc conveniant. Sed non solum nevroses existunt, sed fere omnia invadere possunt organa; nec plures adsunt, quae totum organismum in commune discrimen ducere queant. Cerebrum proprias nevroses habet, alienationes mentales, ut Georget optime demonstravit, et ad hanc pertinent classem epilepsia. Cor nevrosi quandoque (1) laborat, nec pulmo ab hisce adfectionibus est immunis (2). Organa illa, quae providentur a nervis gangliaribus, adfectiones tum spasticas tum dolorificas nervosae indolis manifestant, ut inter recentiores affirmavit Andral. Nec denique organa sensuum atque motus hisce morbis, tum specialibus, tum generalibus subtrahuntur. Latus idcirco est nevrosium campus, sed obscura illarum indoles, incerta origo. Tamen aliquam lucem in tenebrosum hoc argumentum diffundere arbitramur, exactam causa-

(1) Kreysig, Testa, Laennec.

(2) Georget, Dubois, Laennec aliique.

rum principalium, quoad fieri potest, nevrosium recensionem exponentes.

Aetiologia. Nos rationes aetiologicas nevrosium disquirentes, nullam causarum in externas atque internas, praedisponentes et occasionales, uti mos est, distinctionem sequimur. Singulam causam exacte agnoscere, illius modum agendi, quoad fieri potest, investigare, nobis valde interest, parum ordinem curantes quo menti humanae opportunius exhibeantur. Ex illis incipiemus, quae influxum magis efficacem videntur exercere; et hic certe conditio climatis primatum sibi vindicat.

Clima. Etiamsi hominibus natura concesserit sub extremis orbis terraquei limitibus vitam ducere; longe tamen abest, ut nullum experiantur a conditione climatis influxum. Physica illorum constitutio, intellectualis atque moralis conditio, rationibus aetiologicis locorum quae incolunt, exacte respondent. Quis fervidum, parcum et adustum Arabiae incolam cum torpido et lymphatico Cairi habitatore comparabit? Sic Lucanus (Pharsal. VIII):

»Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem
»Labitur, emollit gentes clementia caeli:
»Omnis in arctois populus quicumque pruinis
»Nascitur, indomitus bellis et mortis amator».

Sed clima duplici ratione, si attente examina-

mus, morbis nervosis causam praebere potest. Et quidem *directe* per caloris, frigoris, siccitatis atque humiditatis gradum, per majorem vel minorem soli a superficie maris elevationem: *indirecte* vero per vitae genus, quod necessarium reddit, per gradum civilitatis, cui valdopere favet, per alimenta atque potus, quos subministrat. Hic de directo climatis influxu solummodo sermo erit.

Calor vitae sensiferae praecipuus est stimulus, sed cum excedit vis illius expansiva, extremitates periphericas nervorum nimis exagitat, oscillationes, ut ita dicam, vivaciores centro illius systematis communicat, unde vita animalis exaltatur, intenditur, praeceps fit.

Hinc nimium sensilitatis acumen; hinc imaginationis praepollentia; hinc virium muscularium languor; unde homines debiles, torpidi, serviles fanatismo et superstitione facile dominantur. Hujusce adserti exemplum Marochii, Syriae, Aegypti atque Chinae coloni nobis praebent. Sed eandem ob causam morborum nervosorum evolutioni nimius calor favere potest. Systema nervosum, cujus functiones nimis intenduntur, causis morbificis numerosioribus obviam fit, eorumque influxum acrius persentit. Leve vulnus, quod in frigida regione nullam laesionem nervosam induceret, in Peruviae regno atque in insula

sancti Dominici, adfectiones tetanicas gravissimas causare solet; et forsan, ut doctissimus Labillardiére in suis itineribus observavit, frequentia tetani, quem vulnera ab indigenis illarum regionum inflicta producebant, nimio climatis fervori magis quam armis venenatis tribuenda est. Haec eadem est ratio, cur infantes Nigrorum, qui Gujanne nascebantur, tetano peribant, cur plurimi Europaeorum, sub tropicis transeuntes, delirium experiantur febrile *calenture* vocatum, quod vomitu solvitur. Quod si regiones orbis calidiores perlustramus, frequentia nevrosium, ibidem vigentium, veritatem nostrae theseos confirmabit. In Etruria convulsiones epilepticae infantibus praesertim familiares sunt. In Calabria, Aprutio, Apulia singularis adfectio spasmodica, choreae sancti Viti analoga, observatur, quae olim morsui phalangii apuli tributa fuit. Idem morbus, mania, et alii nevrosium comitatus, juxta Baglivium, saeviunt apud siccos et ardentes Apennini colonos. In Sicilia et Graecia vetusta melancholia omni tempore multas abripit victimas. Epilepsia jam ab Hippocratis tempore insulas maris Aegaei infestaverat.

Nec in regionibus calidioribus Asiae morbi nervosi desunt. In Asia minori paralyses, melancholia, spasmi endemice quasi grassantur. Melancholia est frequentissima inter Arabes (Bedui-

ni) juxta Pallas; febres atassicae circa Ormum tunc dominantur, cum ventus calidissime Arabiae *samiel* vocatus afflat; colicae spasmodicae per Bengalam atque Siami regnum epidemice serpunt.

Regiones calidiores quoque Africae hujuscemodi morbo non carent. Spasmi maxillarum, epilepsiae, aliaeque nevroses in centro Africae, uti Guineae, Marochio non desunt. Tuneto morbus dominatur illi analogus, qui a morsu phalangii apuli nomen habuit *janon* vocatus (1). In Madagascaria adfectiones tetanicas esse valde frequentes (2) constat.

In America etiam systema nervosum suos patitur morbos. In historia Mexici atque in itinere Americano a domino Antonio Ulloa conscripto legitur, clima Luigianae adeo esse fervidum, ut adfectiones spasmodicae opistotono praesertim crebro occurrant.

Ergo si attente morbos, qui regionibus calidioribus epidemice saeviunt, examinamus, sat clare liquet, adfectiones systematis nervosi, cujuscumque generis, illic saevire, ubi terra nimio aduritur calore; nec quidem mirum, si cogitemus quanta sit calorici cum electrico adfinitas,

(1) Chenier, Recher. sur la maur.

(2) Flacourt, Hist. Madagasc.

cujus fluidi imponderabilis cum systemate nervoso multiplices relationes, nullus est qui non agnoscat, et si in mentem revocamus caloricum externum talem in humano organismo mutationem inducere, ut calorem vitalem per gradum et ultra intendere possit. Juxta experimenta celeberrimi John Davy temperatura humana in Europa 36 vel 37 gradum thermometri cent. non exsuperat, dum Ceilani ad 38 ascendit.

Frigus dum modicum est, adpetitum atque vim digerentem intendit; corpori harmonicas proportiones et formas venustas conciliat; systemati musculari ingens addit robur, et amorem belli atque vitae contemptum infundit. Sed si frigus excedit, corpora atque animos miseranda ratione deturpat. Sic Spitzberge, Groenlandie, Lapponiae homines quatuor pedum altitudinem non excedunt; cuti nigricante atque nimio frigore contracta, viribus muscularibus torpentibus, ratione debili, animo indolenti, apathico, voluntate infirma. Sed etiamsi frigus, physice consideratum, effectus ex diametro oppositos illis, quos calor producit, inducere solet, longe a vero abest, ut eadem ratione agat dum stimuli vitalis vias perfundit. Frigus et calor in organismum humanum agentes impressiones inducunt, quibus sensationes respondent; et impressiones inductas, nimia vi peccantes, sensationes molestae sequuntur. Si-

cuti ergo nimius calor, ita frigus excedens systema nervosum irritat, convellit, morbis nervosis viam sternit. Hoc assertum solum speculationi theoreticae non innititur, sed factis incumbit. Asserunt Sceffer et Linneus Lapponiae colonos valde in adfectiones spasmodicas esse propensos. Juxta mare Balticum melancholia, lycanthropia frequenter occurrunt: hoc idem observatur in montibus Scotiae, apud nationes hyperboreas, uti Samojedos, Kamtschadales, Jakutos etc. Pallas in nordico itinere asseruit summam ad adfectiones spasmodicas, ad hysteriam, hypochondriam, epilepsiam esse praedispositionem, et illud peculiare retulit, puellas nempe Kamtschinskienses maniacas tempore menstruorum evadere.

Ex hisce, quae hucusque diximus, clare patet, quod frigus et calor, dum quosdam limites non excedunt, valetudini humanae aeque favere; hunc magis acumini mentis, illud robori corporis magis propitium esse: dum vero intense excedunt, utrumque causam morborum nervosorum et quidem indolis analogae evadere. Cujus effectus nullam admirationem in eo inducet, qui ad mentem revocat attactum corporis vel calidissimi, vel frigidissimi aeque dolorificam sensationem inducere.

Humiditas. Humiditatis atmosphaericae gradus rationes aetiologicas locorum valde mutare potest. Et primum humiditas processum vege-

tationis summopere turbat, tum functionem pulmonalem, tum cutaneam directe adgrediendo; praeterea systemati innervationis quoque noxas struit, subtractioni nempe electrici humida atmosphaera valde favet, fluidumque electricum fluido nerveo summe analogum esse, ingeniosis experimentis innixi, plurimi inter physico-medicos recentissimos, non solum suspicari, sed palam profiteri non timuerunt. Sed ex alia quoque parte humiditas excedens systemati nervoso damnum infert, cum sic quasi vehiculum, per quod principia nonnulla malefica in illud introducuntur, uti cum tetra mephitis, ex corporibus organicis putrescentibus manans, principia in organismum veneni ad instar introducit, et systema nerveum inficiens morbis brevi tempore exitialibus viam sternit. Inter hos morbos sunt recensendae febres intermittentes et perniciosae, febres atassicae, quae epidemice saeviunt apud paludes Pontinas, Bataviae, depressis atque humidis Hungariae locis. Hujuscemodi quoque sunt febres, quae Philadelphiae atque in regionibus Isthmi Panamae grassantur, ubi tanta est humiditas, juxta viatorum relationem, ut omnes ad praecavendas nimias illius noxas, capillos abradere cogantur. Huc quoque pertinet febris flava, quae jam longo tempore apud limosa novae Hispaniae litora saeviit, et quae etiamsi per mul-

tas migraverit Italiae et Hispaniae regiones, tamen endemice non permansit, nisi illis in locis quibus aeris pressio ultra vigesimum gradum supra O ostenditur, et paludibus circumdatur, vel ad litora maris tempestate praesertim pluviosa autumni (1).

Nec reticendum est quod pestis orientalis Aegyptum endemice depopuletur, quod veneficis exhalationibus paludum Deltae est tribuendum. Aquae quoque stagnantes circa Damiatam, Alexandriam, et illae quae Barbariae infestant litora, eosdem producunt effectus. Quarum adfectionum causam fere exclusive in humiditate atque palustribus effluviis locandam esse censeo, et parum certe caloris gradum conferre.

Febres intermittentes apud Lapponenses, cujus clima valde frigidum est sed siccum, omnino ignorantur. Ventus siccus et ardens, qui per Saharae desertum transgreditur, et sabulo levi atque calefacto est onustus, etiamsi plantas exsiccet, ophthalmias graves producat; tamen cum ad regiones humidiores Africae pervenit, salutarem exerit influxum, febres intermittentes perniciosasque expellendo. Ne quis tamen credat nos febres intermittentes simplices et perniciosas, febrem flavam, pestemque orientalem inter

(1) Humboldt, Viaggi.

nevroses recensere, sed influxum humiditatis atmosphaericae in systema nerveum disquirentes, has observationes admittere nolumus; siquidem neminem latere credimus, symptomata atque curationem febrium intermittentium pro indole illarum nervosá deponere, ut Georget aliique plures opinantur, et subitaneam perniciem quam pestis orientalis, febris flava inducunt, absque dubio manifestare vitam in praecipuo suo motore, systemate nempe nervoso, profundius atque radicitus laesam esse.

Aer vero nebulosus alia ratione quoque nevrosibus favet, vivificantem nempe lucis solaris influxum imminuendo, intercipiendo. Hic suavissimus stimulus totam naturam viventem excitat, laetificat; plantae ipsae laetius virescunt dum suam praesentiam sentiunt, folia organaque genitalia luci solari aperientes; omniaque animalia a somno et torpore excitantur, et nova ipsis infunditur vitalis activitas.

Homo ne solus indifferens erga potentissimum hunc stimulum manere potest? Non certe. Atra nox phantasmatum atque pallescentis terroris mater semper adpellata fuit, dum contra cerebrum exhilarat diurna lux, ideas laetas, jucundas infundit, vitae sentienti novam alacritatem conciliat. Tetra melancholia, quae Anglos praesertim vexat, atque ideis adeo tristibus eo-

rum vitam deturpat, ut manus impias in se ipsos conferre audeant, aeri nebuloso qui illis locis incumbit (quidquid nonnulli dictitent) est tribuenda. Nec certe cum Dubois possumus convenire, qui hanc illius melancholiae esse causam omnino denegavit, et conditiones potius sociales tum privatas, tum publicas, sub quibus Angli vivunt, exclusive incusavit. An omnes qui circa mare Balticum degunt, an Dani, an Flandriae habitatores sub iisdem conditionibus socialibus inveniuntur? Melancholia tamen, et ad sui ipsius occisionem propensio multas ibidem victimas rapiunt, ubi atmosphaera nebulosa ibi quoque continuo premit.

Aeris siccitas. Qualiscumque sit illius atmosphaerae gradus jucundae valetudini magis ac humida prospicit. Perfectior haematosis, perspiratio liberior, major in plasticitatem nisus, sensilitas exquisitior, myotilitas robustior sub sicco atque elastico aere observatur. Sed cum siccitas nil aliud nisi privatio humiditatis sit, et nil positivi constituat, illius affectus negativi sunt, et per effectuum tum caloris, tum frigoris modificationem praesertim manifestantur. In genere, uti diximus, tum nimii frigoris tum nimii caloris siccitas temperat noxas. Climata sicciora Africae etiam sub urenti calore valetudini satis favent, uti Virey observavit, et regiones sicciores insulae

Thulae, montes Norvegiae saluberrimi sunt, et ad longaevitatem homines disponunt, intenso frigore non obstante. Quod si Arabibus melancholia est familiaris (1), si in climatibus aequinoctialis regionis priapismus, nymphomania, catalepsis feminas et ipsos infantes adgreditur, hoc certe calori non siccitati est tribuendum.

Nec minus gradus elevationis locorum ad rationes aetiologicas mutandas confert. Alta montium cacumina corpora robusta, ingenia acuta alunt, locis humilibus tetra insidet morborum cohors. Nec mirum: illic aer frigidiusculus, siccus, purus, frequenter a ventis exagitatus; hic contra calidus, vaporibus aqueis atque effluviis maleficis onustus perpetuo stagnat. Peculiaris vero est morbus, *cretinismus* vocatus, qui endemice in vallibus profundis, et undique montibus clausis grassatur. Cretini sunt viri, quorum innervationis systema extremum torporis gradum manifestat. Glandulae colli in magnos tumores exsurgunt, ex ore hiante saliva continuo effluit, physionomia passionum silentium, mentis imbecilitatem revelant, extremitates veluti appendices supervacaneae pendent; nullus motus, nulla loquela; inconditae voces solummodo ejulatum ferarum aemulantes, illorum lo-

(1) Pallas, Nord. Beitrege.

quelam constituunt; voraces, nefandae, indulgentes cupidini, inter propria excrementa (spectaculum revera nefandum) continuo reptant. En Cretinorum tristissima sors!

Hujus morbi causas nonnulli inquirentes originariae conformationis cerebralis vitium culparunt. Sic Vesalius caput Cretinorum, qua nimis acuminatum, delineavit. Malacarne asseruit lamellas cerebri ad 780 in individuo omnino sano ascendere, minus contra quam dimidiam hujusce numeri partem in idiotis atque Cretinis se observasse. Idem auctor etiam affirmavit ob nimiam apophyseos basilaris obliquitatem medullam oblongatam Cretinorum comprimi (1).

Quod vero hic morbus locis humilibus fere exclusive insideat, ex hoc probatur, juxta observationem Saussure (2), quod infantes in hunc morbum praedispositi tantam calamitatem vitare possunt, si ad montuosas regiones, ubi aer siccior et purior afflat, transferantur. Ad quod adsertum si nostram attentionem convertimus, et si praeterea cogitamus, plerumque infantes, qui progressu temporis Cretini fierent, primis vitae periodis mentis ingens acumen ostendere, ut Foderé observavit; si denique, ut complures auctores fatentur, quandoque idiotismus a nulla sen-

(1) Opuscoli scelti sulle scienze.
(2) Voyages aux Alpes.

sili organica laesione cerebrali comitatur; magis probabile, et rationi consonum credimus morbum illum laesioni subtiliori atque imperium sensuum eludenti inniti, atque ex maxima parte in alienatis motibus cerebri consistere: quapropter jure inter nevroses esse recensendum. Etiamsi vero hic morbus loca humida et depressa fere exclusive depopuletur, uti in vallibus, quae montes Pyreneos, Carpathios et Caucasum circumdant, quaeque inter culmina Thibeti, et in insula Sumatra etc. existunt; nihilominus observavit Humboldt in republica Columbiana Cretinos inveniri, illis quoque in locis, quibus solum sex millibus pedum in altitudinem superficiem maris exsuperat, ubi et aer siccus, et solum aridum, et ventus vehemens flat. Quod certe probat principium aetiologicum a nobis admissum, non adeo generale nec exclusivum esse, ut aliqua exceptione non indigeat.

Aetas. Vitae humanae a natura statuta est periodus. Dato temporis spatio indiget homo, ut proprium evolvat et firmet corpus; per datum temporis spatium vitae plenitudinem et functionum aequilibrium servet; denique dato annorum cyclo organismus sensim labefactatur, donec ad vitam sustinendam ineptus, mors quoque necessario eveniat. Prima vitae periodus infantiae, adolescentiae et juventutis aetates complectitur;

altera a robusta expletur virilitate; ultima vero molesto senio conficitur. Infantia et adolescentia morbis nervosis non carent, qui morborum processum vegetativum affligentium effectus sunt, et systema nerveo-musculare fere exclusive adgrediuntur. Idiotismus, ex. gr., ita in morbosa vegetatione radicatur, ut diatheseos et scrophulae sit perpetuus comes; epilepsia, eclampsia, trismus, chorea sancti Viti vel excedentis sanguinis raptus ad centra systematis nervosi sunt effectus, vel a causa mechanica irritante, a laesa vegetatione inducta, ex. gr., vermibus, tuberculis procedunt. Cur vero tali pacto systema nervosum aetate infantili aegrotet, et praecipue illa pars, quae motibus inservit, adficiatur, facile explicari potest, si ad mentem revocamus cerebrum pueri vitam vegetativam fere exclusive vivere, et inter functiones vitae sensiferae myotilitatem tunc praeponderare, ut continua corporis jactatio docet.

Morbi nervosi quoque qui tardam adgrediuntur senectam, a laesa nutritione ex maxima parte derivant; nec mirum si homo, qui suae vitae initia vegetando explet, extremos quoque dies soli vegetationi sacrat. Sic anestesiae, paralyses seniles, frequenter a laesione organica sat manifesta explicantur: caecitas, surditas, aliaque sensuum alienatio, conditionibus organicis sat evidentibus, a quibus pendent, non carent.

Vita juvenilis et virilis contra sublimioribus vitae sensiferae functionibus est dicata. Homo non amplius pro se ipso solum, sed pro posteritate praesertim existit. Organa nova sublimi generationis operi inservientia evolvuntur, atque agere incipiunt. Tunc amor ingreditur cum omnibus suis illusionibus, et longa affectionum caterva comitatus; tunc homo foedera socialia magis stringentia init; tunc pathemata, quae status societatis inducit, uti ambitio, amor gloriae, divitiarum, honoris, energica explicantur vi, tunc aerumnae familiares directius feriunt, et vivaciori modo animos angunt: uno verbo, vita nervosa juventutis atque virilitatis per sublimiores mentis animique proprietates manifestatur; hinc morbi nervosi indolem quoque adsumunt analogam.

Quis enim ignorat maniam, melancholiam erotomaniam, hysterismum, hypochondriasim, nymphomaniam, fere exclusive hanc vitae periodum vexare? Hinc sat clare patet extremas vitae periodos, morbis nervosis favere, qui in laesa vegetatione potissimum nituntur; tali vero cum discrimine, ut convulsiones infantibus, paralyses contra sint senibus familiares: juventutem vero et virilitatem vitam altiorem systematis nervosi praecipue laesam manifestare, illis alienationem organicam, sub sensus cadentem, quamplurimum

competere; hisce indolem minus materialem laesionum, sit verbo venia, causam proximam morbi avido philosophi intuitu frequenter denegare.

Sexus. Differentia sexuum ex triplici fonte derivat; ex systemate nervoso; ex organis sexualibus; ex utriusque sexus positione sociali.

Systema nervosum in utroque sexu talibus proprietatibus est instructum, ut praedominium unius, servitutem alterius explicet. Ratio firmior, animus constantior, vis muscularis major, hominem ad imperium disponunt; sensilitas vivacior, mentis robur debilius, virium imbecillitas, feminam subjectam faciunt. Homo vi obtinere, quae appetit, tentat; mulier blandimentis atque precibus; ille mentibus imperare nititur, haec animos subjicere studet. Inter vero pathemata mulierum amor certe praeponderat, nec mirum si natura vehementi ditavit amore illam, quae hominem suis uberibus alere, quae infantem, omnibus carentem, fovere, dirigere, defendere debebat: solus certe amor immensus, necessarius graves maternitatis curas mitigare poterat. Haec facultatum cerebralium diversitas, diversis morbis nervosis in utroque sexu viam sternit: hypochondria frequentius virum aggreditur: hysterismus feminas vexat: illi frequenter in ferocem maniam trahuntur, istae in tristem melancholiam saepius incidunt.

Major est nevrosium numerus, quibus sexus sequior ob exercitium functionum sexualium exponitur. Et profecto menstruatio, graviditas, partus, puerperium, lactatio, vel per profusum humorum dispendium, vel per nimias systematis nervosi sensilioris oscillationes, a repetitis impressionibus dolorificis inductas, quoties maniam, hysterismum etc. causare solent!

Sed praecipua differentia inter morbosam sexuum praedispositionem ex differenti positione sociali manat. Status mulierum directe fervidissimis illarum propensionibus obstat. Ardenter desiderant, efficaciter volunt, et semper aliorum voluntati obtemperare debent. Intense amant, ardentissime; flamma tamen nec levia dare debet indicia: connubia invisa inire pluries coguntur infelices! Genitor ferus illas secundo genitori tradit: sed ista non sufficiunt. Aetatis progressus homini majorem dignitatem et auctoritatem conciliat; feminarum imperium cum venustate perit. Vae illis quae religionis auxilium non exposcunt sacro amore profanos amores sanantes! Neglectae, contemptae, aliarum gloriae invidae spectatrices, lento conficiuntur moerore. En verus fons morborum nervosorum, qui hac aetate copiose evolvuntur, et qui a medicorum imperitia menstruis retentis, suppressis, irregularibus, insufficientibus, aeterna repetitione, re-

vera ridiculum! tribuuntur. Sed utinam mulieris educatio illius positioni sociali conveniret! Utinam rationem acuere, sensilitatem compescere, animum firmare studeret! Incauta genitrix nunc se felicem appellat, cum illius filia exquisitae sensilitatis edit indicia. Musices et picturae artibus ferventes illae phantasiae se addicunt: fabularum romanensium lectiunculis libere indulgentes per diem, ad spectacula, ad choreas sero trahuntur, et ignis tali pacto sub cinere gliscens intensissimam et edacem excitat flammam, quae miseras urit et consumit. Si ergo conditio socialis cum feminarum naturali propensione pugnat, non minus illarum educatio proprii muneris executioni officit.

Sed homo etiamsi minus causis nevrosium sit expositus, nihilominus illum societas talibus in circumstantiis collocat, quae hisce morbis originem dare possunt. Quoties ira, zelotypia, ambitio, avaritia virum miserrime lacessunt, et in pertinacissimas nevroses impellunt! Sed propensio in morbos, quae ex sexu emanant cum vita sexuali cessat: illa extincta differentiae tum physicae, tum intellectuales et morales sensim delentur. Prima infantia atque extrema senecta, sexus forsan a sola inspectione partium genitalium distingui possunt.

Temperamentum. Temperamentorum theo-

ria, qualis a maxima physiologorum parte exhibetur, erroribus scatet, nullique utili applicationi inservit, ut Zimermann (1), Le Clerc (2) et Georget (3) asseruerunt. Fere omnes enim, qui de temperamentis disserunt, ita singuli proprietates non organicas solum, sed morales et intellectuales describunt, ac si redundantiae alicujus humoris systematis vel organi necessarii et directi essent effectus. Quis enim, sana ratione donatus, credere potest tantam, partibus nonnullis organismum humanum constituentibus, valetudine perfecta vigente, inesse potestatem? Soli systemati nervoso competit functiones mentis et animi perficere vitamque vegetativam ita modificare, ut notae temperamentorum exsurgant. Et revera quando illorum clarior adparet distinctio? Quando vita sensifera majore activitate fruitur. Aetate contra infantili et senili vix ullum discrimen animadvertitur. Nos revera non negamus nonnullis in hominibus systema sanguiferum et lymphaticum abundare; sed hujus praeeminentiae causae in systemate nervoso sunt inquirendae. Est systema nervosum, quod modica activi-

(1) De experientia in medicina.

(2) Histoire naturelle de l'homme, consideré dans l'état de maladie.

(3) Physiologie du système nerveux.

tate evolutioni horum vitae vegetantis systematum obicem non posuit.

Sed qualitates tum animi tum mentis certe a majori quantitate sanguinis vel lymphae non pendent. Nec minus ridicula certe est opinio illorum, qui temperamentum biliosum ita pingunt, ac si omnia ab aucta activitate hepatis, a majori quantitate bilis penderent. Effectus cum causis tali pacto confunduntur, eodem organo contra nutum naturae diversae attribuuntur functiones. Omnes notae temperamenti, sic dicti biliosi, temperamento nervoso competunt. Quod si per colorem cutis, per modum quo digestio peragitur, per propensionem in morbos biliosos excedens actio hepatis manifestatur, hoc a peculiari functionum nervosarum indole pendet. Ad iram aliasque tristes affectiones hujuscemodi homines sunt proclives, quia systema illorum nervosum peculiarem dispositionem agnoscit; sed nec pathemata frequenter recurrentia oscillationibus nervosis, quae per totum organismum emanant, nutritionem peculiari ratione modificant, activitatem hepatis intendunt, et tali pacto characterem temperamenti sic dicti biliosi proferunt.

Systema nervosum idcirco temperamentorum praecipuus est fons. Characteres morales atque intellectuales a peculiari cerebri conditione dire-

cte manant. Notae quoque organicae ex eodem fonte, sed indirecte derivant. Vita enim sensifera, intra quosdam limites retenta, processui vegetativo augmentum activitatis concedit, ideoque vel partes albidiores exsuperant, quae nempe gradum animalisationis inferiorem obtinent, unde temperamentum lymphaticum prodit; vel partes rubrae perfectionem animalisationis gradum adeptae, ceteris praevalent, unde temperamentum sanguineum exsurgit. Inter vero haec temperamenta homines qui vita nervosa eminenter gaudent, in nevroses facilius incidunt; tunc praecipue, cum prima vitae periodo sensilitatem debito regimine et educatione compescere non conantur. Hujuscemodi homines vel pallidum vel sulflavum colorem exhibent, membris gracilioribus sunt instructi: sensus exquisiti, mentis acies excellens, phantasia fervida, desideria vehementissima, pathemata profunda, intensa, robur musculari alacritati cedens. En characteres huic temperamento magis proprii. Quid mirum, si hominibus ita constitutis, frequenter nerveum systema laboret? Omnes causae morbificae, ultra vitae nervosae sphaeram, propriam actionem non communicant; dum contra in hominibus temperamento sanguifero et lymphatico praeditis, morbosae impressiones ad organa vitae vegetantis extenduntur; hinc in primis mo-

tus vitales eminentius laeduntur, in aliis contra conditiones materiales alienantur. Nulla vero admiratio nos teneat, si morbi nervosi in hujuscemodi hominibus evidenti laesione organica careant. An excedens actio vitae sensiferae per organicam quamdam nervosam diversitatem in statu materiali manifestatur? Non certe; ita et morbi per laesas functiones se se ostendentes iutegritati organicae parcunt, vel ita insidiantur, ut sub sensus mutatio morbosa non cadat.

Morum cultura non ubique indiscriminatim suas radices figit. Ubi frigus et calor excedens continuo systema nervosum irritant, sublimioresque illius functiones perturbant; ubi tellus avara aegre fert, ut homines nutrimenta parca et incongrua ex illius visceribus eruant, ibi certe humanitas morum, artium scientiarumque progressus frustra desiderantur. Sub caelo temperato solummodo cultura suum statuit dominium. Compara populos, qui ad polos et sub tropicis vivunt, cum illis, qui zonam temperatam sic dictam incolunt, et videbis quantum alii ab aliis distent. Status vero culturae corpora animosque radicitus modificat: illis enim robur adimit, hisce contra vires intendit.

Homo barbarus nil aliud nisi proprio instinctui satisfacere conatur. Cibum quod propius invenit, praediligit, aliisque vi rapere tentat: un-

da fontis propinquioris sitim compescit: instinctum sexualem, omnibus phantasiae et amoris oblectamentis silentibus, brutaliter explet; cui cum satisfecerit, sub gramine jacet, ubi umbra arboris pro tecto est, nihil irati caeli furores curans, nihil de salute sua sollicitus.

Quale discrimen ab homine omnium morum suavitate imbuto! Proprii instinctus non amplius ingenue loquuntur, sed ab habitudine a voluptatum reminiscentia excitantur, adulterantur. Alimenta exquisitiora solummodo expetit: vinis artificiose confectis sitim extinguit. Magnifica aedes a tempestatum injuria illum tutatur. Lectulus mollis, sericis stragulis obductus somnum conciliat. Adspectus naturae, ventorum, aequoris et fluminum murmur, avium cantus non sufficiunt, sed spectacula, choreas exposcit. Musices blandimentis indiget, et temporis transacti eventus, quasi praesentes, dedignans miro artificio in theatris, avido contemplatur oculo.

Instinctus sexualis conditioni organorum genitalium non respondet, sed phantasiae illecebris et dulci reminiscentia excitatur. Homo huic instinctui indulgens frequenter in duplicem excessum ruit: vel enim fonte voluptatis exhausto ad turpes descendit actiones, quae nutum naturae frustrantur; vel amoris ignem tam bene celat, ut nonnisi caelesti quadam puritate nitescere videa-

tur. Quis vero pathematum effectus, quos necessario status culturae noxios inducit, existimare valebit? Quis dominii, divitiarum, honorum cupidinem veridico penicillo pingere potest? Haec continuo veluti spinae profundius haerentes hominem exagitant, illum perturbant; ad graves labores propellunt, tristitia, zelotypia, invidia illius cordis imperium tyrannice sibi disputant. Hinc motus vitales nervorum pervertuntur, et functiones sublimiores praesertim, quarum major fuit abusus a norma deflectunt: tunc proteiformis mania, tetra melancholia, hypochondriasis, hysterismus evolvuntur, seriusque homo cognoscit, quod impune debitum inter vitam vegetativam et sentientem aequilibrium non turbatur. Haec quae ratio suadet, facta quoque confirmant. Rudis agricola nevrosibus fere nunquam laborat. Nec quisquam objiciat in agro Patavino agricolas frequenter mania corripi, ut hoc in Nosocomio tristissima habemus exempla. Haec enim mania, quae jure pellagrosa vocatur, longe et profunde processus vegetantis laesioni succedit; nec omni sensili materiali perturbatione ita caret, ut jure inter nevroses occupet locum. Urbes civibus magis frequentes, ubi relationes multiplicantur, attactus hominum strictior fit, egestatum increscit numerus, ibi ut in proprio regno nevroses dominantur. Inge-

nia magis exculta, sublimioresque intelligentiae, huic classi morborum tristem persolvunt tributum. Ginevrae philosophus prius hypochondriacus, melancholicus obiit. Ille, quem Italia secundum veneratur Virgilium, tetro carcere, qua maniacus, retentus extremos dies vitae tam gloriosae transegit.

Inter nevroses vero nostalgia aliquam exceptionem hujus regulae constituit. Haec enim quae furenti patriae amore vitam vegetativam consumit, hominibus rudibus non parcit, imo inter illos numerosiores abripit victimas. Nec mirum; quo minus numerosae sunt impressiones, eo diutius perstant; quo minus mobile est nerveum systema, eo difficilius novis impressionibus obtemperat; quo magis vita vegetativa dominatur, eo magis morbi quoque nervosi noxas processui vegetativo praeparant.

Longe vero absit, ut nos statum barbariei cum Rousseau laudemus, illumque homini naturalem esse profiteamur. Rite enim Bonet animadvertit, hominem cum sibi a natura concessas facultates excolit, nutui naturae obedire. Sed hoc solum adserere volumus, culturam aliquid mali cum summis bonis commixtum ferre, ut tristis hominum conditio ostendit. Dum enim vires corporis debilitat, mentes nimis exercet animosque vehementer exagitat, functiones nervosas laedit.

Alimenta. Homo omnivorus est, et quidem jure ut orbis princeps, ex omni regno organico aliquid sibi vindicat. Sufficit illius dentium numerum, directionem et motum maxillarum, tubi gastro-enterici structuram et longitudinem examinare, ut nobis innotescat inter frugivora et carnivora animalia, hominem medium tenere locum.

Sed eo magis carnibus vel vegetabilibus homo vescitur, quo magis temperatura frigidior vel calidior est. Sub caelo frigido homines voraciores fiunt, et cibos ex regno animali depromptos exposcunt: nec mirum; frigus vires digestionis intendit, ad vitam magis laboriosam hominem cogit, negat terrae vegetabilia ferre, ideoque homines vel venatores vel piscatores necessario fiunt. Sub climate contra calidiori organa nutritionis debilitata, vires musculares torpentes, spontanea telluris ubertas, indoles minus sapida carnium, hominem necessitate quadam ad vegetabilia convertunt.

Sed et hominum naturalis quoque propensio conditionibus caeli, sub quo vivunt, convenit. Calore fervente, vegetabilia alimenta avidius homo expetit; dum rigida hieme in cibos carneos libentius fertur. Si enim polorum habitatores, qui piscibus semi-putrefactis vescuntur, et oleum rancidum balenae bibunt, cum molli Asiatico

conferimus qui saccharatis et delicatulis vegetabilibus vescitur, et sitim fluidis varia ratione conditis, glacieque confectis explet, quantum ciborum et potuum discrimen? Sed semper certum remanet principium superius expositum. Comparetur Anglus cum Gallo vel Italo, et quantum ille istis voracior sit, quantum carnium magis consumet, clarius adparebit. Tartarus magis quoque vorax adparet, cum unico pastu plures libras carnis, imperfecte concoctas, quam libenter ingurgitat. Unde Virey asserere non dubitavit, sobrietatem virtutem necessariam meridionalibus esse, septentrionales contra necessario intemperantes fieri.

Sed clima non solum culturae gradus, qualitates quoque alimentorum praecipit. Populi rudes illis utuntur, quae tellus sponte illis offert, dum populi civiliores plantas et animalia ex aliis regionibus transportant, et illa seligunt, quae etiamsi majorem laborem exigunt, magis tamen conveniunt, illaque variis artificiis coquere, et condire valent. Sed alimentorum effectus aliquantulum forte exaggerant Cabanis et Virey, qui physicam atque intellectualem populorum antiqnorum Americae imbecillitatem cibis crassis et male confectis omnino tribuere non dubitarunt. Etiam in Europa populi complures fere sola zea mays vescuntur, et tamen tantam spe-

234

ciei humanae deteriorationem nequaquam exhibent.

Cibi, denuo repetimus, cum climate et gradu culturae ita congruunt, ut difficillimum sit determinare quid alterutri sit tribuendum. Morbi nervosi qui a qualitate alimentorum fere exclusive pendere videntur, sunt: fatuitas et mania pellagrosa, nec non adfectio melancholica, quae in diathesi scorbutica radicata populos infestat, qui circa mare Balticum degunt: primus enim morbus agricolas infestat, qui parcis et male paratis alimentis utuntur; alter vero illos tantum adgreditur, qui ex rationibus topicis coguntur pisces sale et fumo induratos comedere, aquas corruptas bibere, et a vegetabilibus teneris acidulisque praesertim abstinere.

Effectus vero potulentorum evidentius adparet. Fere omnes populi tali potu utuntur, ut caloris vel frigoris influxui obtemperent; in eo vero omnes conveniunt, ut in deliciis habeant quae animum exhilarare, phantasiam fovere valeant, quasi homo satis propriae imaginationis figmentis aliquem felicitatis gradum invenire posset. Sic nordici populi vinum et spirituosa quamplurima; orientales contra theae atque coffeae potum praediligunt. Hi quoque eodem scopo ad opium confugiunt, tantaque copia adsumunt, ut revera obstupescant, qui non assue-

ti illius effectus prima vice experiuntur. In vino et alcoholicis vir nordicus stimulum exquirit, qui processum vitalem a nimia frigoris depressione tuetur. Opio contra orientales nimiam excitationem nervosam a calore externo productam et sustentatam compescere student. Singulare est, quod refertur de nonnullis regionibus polaribus, de Ostiahis, Hamtschadalis, Moscovitis et circa Archangelum et Petzoram degentibus qui liquorem parant ex fungis veneficis, uti *agarico muscario*, qui liquor extraordinariam agitationem insuscitat, et ebrietatem furentem et bellicosam ducit, quae per duos vel tres dies perdurat, et virium summam prostrationem relinquit.

Leges vero ipsae a remota usque antiquitate huic populorum voto suffragantur. Sic Zoroaster, Mahumedes, legislatores orientales vinum prohibuerunt; dum contra Odin nordicus legislator illud commendavit. Sed si usus moderatior vini aliusque liquoris alchoolici in climatibus frigidis utilis evadit, illius abusus morbos gravissimos inducit. Nimia et saepius repetita nervorum agitatione vita nervosa deprimitur, perturbatur, sensilitas sensuum imminuitur, mentis acumen obtunditur, memoria, phantasia obstupescunt, turpis animi dejectio insurgit, et vires musculares deficiunt. En paralysis, anestesiae, amnesiae, fatuitatis, hypochondriae, tre-

morum fecundissimus fons. Nec minus certe opium systemati nervoso infensum evadit dum immodicus illius usus est. Nervi jam a nimio calore prostrati per substantiam illam magis deprimuntur, et eadem nevrosium caterva iusurgit. Hoc solummodo animadvertendum inter effectus opii impotentiam virilem a quamplurimis auctoribus recenseri. Nos vero non credimus huic soli causae tribuendam esse, sed praecipue pendere a Veneris abusu, cui turpiter asiatici divites praesertim indulgent.

Hinc colligendo quae supra exposuimus, patet, tum alimenta tum potulenta ad nevrosium genesim conferre; effectus tamen alimentorum difficilius existimari quam illos potulentorum: primi nempe magis corporeae necessitati indulgent, et illorum indoles et quantitas climati et culturae respondent; fluida contra tum physicam tum moralem voluptatem excitant magis, illorumque effectus ita proprii sunt, ut ad nullam aliam causam referri possint. Ex omnibus vero substantiis ore sumendis, quae systemati nervoso minas struunt, sunt vinum et opium; primo innervationis processum a frigoris, secundo a caloris noxis tutari conamur; effectus vero utriusque abusus sunt iidem, et per ataxiam, vel praecipue per atoniam nervorum manifestantur.

Nulla vero causa fortius systema nervosum

adgreditur, frequentius nevrosibus viam sternit, quam *facultatum intellectualium et moralium abusus*. Pars nempe centralis systematis nervosi harum functionum est sedes, et sublimes qui ab hoc procedunt effectus, respondentem virium deperditionem causant, analogam actionum vitalium inducunt perturbationem. Quid magis mirandum in universo occurrit, quam facultates intellectuales, quarum ope totum orbem complecti, illius leges primigenias statuere, et ex sinu renitentis naturae mysteria magis recondita abripere voluerunt homines? An aliquid efficacius et vehementius ac pathemata et animi affectus in rerum natura existit? Hisce pathematibus et adfectibus homo indulgens exagitatur, et juxta illorum rectam vel malam directionem, nunc laudabiles colit virtutes, nunc brutali scelere inquinatur. Quid mirum idcirco si talium facultatum abusus longam secum trahant sequelam morborum, qui organa hoc munere fungentia afficiunt? Organon vero, cui hoc opus creditum fuit, est absque dubio cerebrum. Nec certe deliriis nonullorum physiologorum subscribimus, qui causas cum effectibus confundentes, sedem pathematum, organa vitae vegetantis pronunciarunt. Si hoc verum esset, pari gradu quo illa organa evolvuntur, pathemata atque animi adfectus vehementiores evaderent. Observa tamen

mansuetum quadrupedem, corde et hepate amplis instructum, apathice prata virentia circumire, non ad aliud intentum nisi ventris desideriis obtemperare, et temperatura atmosphaerica favente Veneri brutali indulgere.

Nonne, quo cerebrum amplius, quo systema nervosum complicatius, eo numerosiores et vehementiores passiones sunt? Quis negabit actionem sensuum atque cerebri ita pathematibus colligari, ut sensibus deficientibus, passiones et adfectus omnino sileant? Quod si effectus sensiles in organa vitae vegetantis a tali causa eduntur, an desunt effectus in organa vitae animalis? minus certe sensiles, sed qui indoli illarum functionum respondent. Si icterus, scirrhus pylori, chronica hepatis degeneratio a statu habituali tristitiei inducitur, nonne hysterismus, hypochondria, melancholia eandem causam sequuntur? Si quandoque adfectiones organicae dominantur, hoc commune est cum omnibus causis morbificis quae frequenter graviores effectus per sympathiam producunt.

Hinc sit a nobis acceptum, sedem pathematum cerebrum esse, illiusque abusum nunc modos vitales illius organi solummodo laedere, nunc gravius illius texturam offendere, nunc contra per propagationem actionis morbificae organa vitae vegetantis efficere. Peculiare tamen hic

adnotandus occurrit nexus inter actionem cerebri et organa cetera, ut nempe morbi organorum abdominalium ad pathemata deprimentia, organorum pectoris contra ad excitantia disponant. Cujus relationis causa certe omnem explicationem effugit; non indoles nempe adfectionis morbificae, non organorum sedes, non illorum functio, non simplex vel multifarius cum cerebro nexus, hujusce oppositae influentiae rationem reddunt. Hoc solum adfirmare possumus, quod sicuti cerebrales laesiones nunc unum, nunc aliud organon in morbum ducunt, variique quoad indolem sunt hujusce sympathiae effectus; ita occasione data, ab aliqua organorum perturbatione, motus abnormes excitantur in cerebro, qui ita inter se differunt, ut nunc ad unam, nunc ad aliam adfectionem moralem proniorem animum faciant.

Nunc inquiramus qualis sit nimis intensi et diu protracti laboris intellectualis effectus. Ad hunc scopum tendentem hominem scientiis et artibus addictum suis meditationibus immersum vobis ante oculos ponam. Sensus inertes stant, et frustra a consuetis objectis incitantur; contracta physionomia, interna conamina revelat, omnes silent adfectus, omnes propensiones naturales supprimuntur; mens cuidam idearum seriei tenaciter adhaerens, omnem quasi vitam si-

bi soli vindicat. Sed si hic status diu protrahatur, circulatio capillaris praeprimis perturbatur; tensio cerebri hyperhaemiam provocat; tunc oculi rubere, tunc caput incalescere incipiunt; tunc aegrius ideae revocantur, connectuntur. Influxus nervosus in cerebri functionibus pervertitur; hinc circulatio capillaris peripherica languet, respiratio lenta et imperfecta; facies pallescit, pallescunt et frigent extremitates, arescit cutis, omnes secretiones supprimuntur. Nec cor aliqua laesione evadit immune, et nunc vel propriam actionem imminutam per lentam et debilem circulationem arteriosam manifestat, nunc per cardiopalma irritationem a nervis illi adauctam ostendit; nunc influxu nervoso per aliquod tempus omnino subtracto syncopes, imagines mortis, adoriuntur. Sic Newton pluries hoc phaenomenon obtulit; sic lectura Cartesii operum hunc effectum in Malebranchio induxit. Nec desunt exempla a nimia mentis tensione vitam omnino extinctam fuisse. Titus Livius de Attalo rege narrat, quod Baeotiis foedus cum Romanis suadens, extremum obiverit diem. „L'on a vu plus d'une fois, Tissotius ait, de „grandes prédicateurs, et des professeurs illu„stres, mourir dans leurs chaire, même com„me cela arriva à Leipsick au célèbre Curtius".

Si vero hic status exaltationis cerebralis fre-

quentius repetitur, salus grave detrimentum experiatur necesse est. Et primum organa digestionis laeduntur. Amatus Lusitanus asserit, ventriculum infirmum ita homines litteris addictos insequi, ut umbra corpus. Longa hinc exoritur series morborum vitam vegetantem adfectantium qui in imperfecta digestione radicantur. Sed morbi frequentiores vitam animalem adfectant. Somnus difficile conceditur, et semper insomnis turbatur, funesta difficiliter compescenda menti conciliatur activitas, quae ad maniam, ad melancholiam, ad hypochondriasim disponit; quandoque contra activitate cerebrali omnino exhausta, fatuitas succedit. Tissotius vidit anglum magnatem nimio ardore ad studium mathematicae incumbere, et primum sensum visionis, dein quemcumque facultatum intellectualium usum amittere. Hic tamen notandum occurrit hanc causam frequentius alienationem mentalem in juvenibus, facilius contra in adultis hypochondriasim inducere. Primo enim casu rapida organi nimis delicati excitatio functiones illi creditas omnino perturbat; dum contra longa habitudo, et robustior cerebri compages, hujusce causae noxas quasi imminuunt; hinc illius functiones omnino non alienantur sed perveriuntur solummodo, et incongruam directionem assumunt. Vigiliae nimis protractae debitam cerebro

requiem non concedentes eosdem effectus ac antea descriptos producunt.

Hic tamen revera aliqua distinctio est facienda inter illos homines qui sensum et memoriam exercent, et illos qui ratiocinio imaginationeque abutuntur. Minus nempe exercitium memoriae quam ratiocinii defatigat: hinc observatores, uti physici, chemici, botanici etc. meliori fruuntur valetudine quam philosophi et poetae. Nimia enim attentionis vis et frequens exaltationis status in istis occurrens, robur cerebri frangit, atque in nevroses praesertim disponit. Nec certe hujus discriminis causa a majori corporis motu quem observatores faciunt, est tribuenda. Quot homines sunt qui continuo propriis officinis immobiles stant, et tamen optime digerunt, nullumque morbum nervosum patiuntur! Carolus Bonet hoc discrimen explicare tentavit, dum asseruit, cogitationem ad plura objecta intentam activitatem eodem tempore cerebri fibris impertiri, dum contra uni eidemque objecto restrictam, easdem fibras cerebri diu exagitare, unde defatigatio major procedere debet.

Pathemata. Natura homini inseruit naturalem quandam necessitatem illa praediligendi objecta, quae scopo ab ipsa natura illi praefixo respondeant. Dum vero haec objecta praedilecta non obtinentur, vehementer desiderantur,

et hic facultatum cerebralium status passionis, pathematis etc. nomen sibi promeruit.

Quatuor vero si exacte examinamus, sunt praecipue pathematum modificationes. Natura integritatem organicam praesidiare voluit, unde propensionem in hominem inseruit erga res illas, quae vitam organicam sustinere, et suaves organicas impressiones inducere valent; ad quem scopum amor proprius, stricte dictus, inservit. Sed homo est animal docile, ad societatem destinatum; hinc homini desiderium inexplebile est nexum firmiorem reddendi, quo societas tenetur; unde amor gloriae, divitiarum, honorum ambitio etc. propriam originem repetunt. Sed magis quam individua, natura species servare conatur. En amoris sexualis fons, quem unio sexuum explet, cui aliquid sublimius deinde adjungitur, desiderium nempe amatae personae. Hoc homini solummodo est peculiare; hocque certe innititur sublimioribus cerebri facultatibus, quarum ope ita reale ideali commiscetur, ut orbem intellectualem quasi fictitium sibi homo gignere valeat. Primus amor stricte sexualis vocatur; secundus purus, platonicus etc. Pathemata haec cardinalia hominum actionum primi motores sunt. Quidquid sublimius scientiae, quidquid suavius artes produxerunt, ab hoc fonte derivat. Heu hominum miseranda sors! bona et mala ex eadem

causa nascuntur; scelera atrocia hanc quoque causam agnoscunt. Passiones adfectusque hominis adime, et uno veluti ictu natura obmutescit, et perfectissimus animalium destruitur. Sed si pathemata exteriores actiones producunt, non minus intimos nostri organismi recessus exagitant. Modica, tempestiva passionum excitatio vitam intendit; necessitates adauget, desideria multiplicat; fontes voluptatis majores efficit; sed immodica, intempestiva pathematum perturbatio ita leges tum morales, tum intellectuales subvertit, ut vitam ipsam vel lente corrodat, vel uno ictu rescindat. Nec desunt exempla frequentiora illorum qui sacrum naturae nutum violantes, manus infensas in se ipsos ob illam causam intulerint.

Sed effectus pathematum tunc exoriuntur, cum illorum objecta vel in sensus, vel in phantasiam agentes impressiones efficiunt, quibus adfectiones succedunt. Pathemata enim strictiori sensu nil aliud sunt, nisi naturales tum physicae, si dicere licet, tum morales propensiones. Adfectiones contra hisce ita innituntur, ut tunc exoriantur, quando hae propensiones explentur, vel proprio scopo orbantur. Sic laetitia adfectionesque affines primo casu exoriuntur; odium, terror, tristities etc. oppositis sub circumstantiis adparent. En vero radicalis, ut nobis videtur, distinctio inter pathemata et adfectiones, quam cer-

te ulterius explicare oporteret, nisi operi temporis angustia limites statueret. Ex hoc vero quod diximus sat clare patet, effectus pathematum per effectus adfectionum manifestari, de quibus nunc aliquantulum diffusior sermo erit.

Effectus animi adfectionum diversi sunt, prout ad laetitiam, ad iram, ad timorem, ad tristitiam accedunt. Hi enim praecipui videntur omnium adfectuum archetypi, quibus omnes alii plus minusve accedunt. Hinc de hisce singillatim aliquid disseremus.

Hilaritas est dulcis actionis cerebralis modus, qui a perceptione derivat impressionum suavium, dulcis reminiscentiae passionum et necessitatum expletarum. Modica hilaritas conservationi, valetudini prospicit, cum in tali statu functiones liberius perficiuntur. Physionomia quasi expanditur, explanatur, facultates intellectuales insuetum assumunt vigorem, elocutio magis fecunda fit; sensationes peculiares sentiuntur in thorace, quandoque vero in tubo alimentari. Observabile vero est phaenomenon fletus, qui et in tristitia et in gaudio pariter apparet, quasi homo felicitatem et miseriam eadem expressione ab omni excessu quasi abhorrens manifestet. Sed vivax hilaritas et ab aliquo inopinato eventu producta summam depressionem moralem inducit: membra enim contremiscere incipiunt; vox fauci-

bus haeret; circulatio, respiratio turbantur; palpitationes, sensus oppressionis exsurgunt. Nec desunt exempla hominum a nimio gaudio peremptorum; imo facilius jucunditatis excessus magis quam dolor intensus vitam extinguere potest; quod certe significat hominem ita a natura constructum fuisse, ut infelicitatis status illi magis quam ipsa beatitudo conveniat. Sic Dionysius tyrannus cum audisset praemium poesi illi Athenis decretum fuisse, obiit. Leo X notitiam accipit res militares bene cedere, et statim humi extinctus procumbit. Nimium gaudium matres illas suffocavit, quibus filios quos jam extinctos fleverant, amplexari crudelis fortuna concessit, uti Romae et Spartae exemplum habuimus. Sophocles coronam et plausus accipiens, obiit. Notatu digna vero est observatio a celeberrimo Esquirol facta, quod numquam propter fortunatos eventus aliquis rationem amitteret; et si aliquando hoc primo intuitu evenire videtur, melius tamen re perpensa, aliqua idea tristis innotescit, cui delirium innititur. Sic causam refert hominis, qui maniacus evasit ob ingentem lucrum ludo sibi comparatum. Illi autem continuo ante oculos versabatur difficultas pecuniam ingentem per ludum acquirendi. Hilaritati vero, laetitia, gaudium, voluptas, oblectatio, jucunditas valde adfinia sunt, idcirco

quod supra exposuimus, hisce quoque exacte convenit.

Illis etiam admiratio, contemplatio, ecstasis accedunt, qui ejusdem status cerebralis sunt gradus. Hoc vero peculiaris illis competit, ut vita universa ut ita dicam in cerebro coeat, et quod omnis mentis tensio in uno eodemque objecto figatur. Hinc consuetae impressiones sensiferae omni effectu carent; circulatio, respiratio languent; et revera aliquando tali statu in syncopem laetalem transit. Sic pictor Francia, picturam celeberrimi Raphaelis contemplans, emoritur.

Hinc patet laetitiam aliosque adfectus affines tunc solum nocere, cum improviso exoriuntur, et quosdam fines excedunt; tanta nempe et rapida cerebralium motuum mutatio, totam oeconomiam perturbat, et praecipua inter organa influxu nervosae vitae sustinendae necessario orbantur. Hinc mors succedit, sed ratione illi penitus opposita quam tristitia inducit. Illa enim per nimiam vitae nervosae expansionem, ista contra per nimiam contractionem mortem generat.

Ira, indignatio, furor etc. statum constituunt cerebri valde violentum, qui plerumque a laeso amore proprio suam causam repetit. Odium nil aliud est nisi ira protracta.

Ad graves agnoscendos irae effectus sufficiat

adspectum hominis irati examinare: facies turget, oculi rubent, et ex orbitis quasi protruduntur: genae, labia, frons convulsive contrahuntur; frustra verbis tentat proprios sensus explicare: voces inconditas solummodo profert; vehementer cor et carotides pulsant; respiratio est celer, intercisa; omnia membra spastice contremiscunt; vires musculares vel ita augentur, ut robore taurino polleant, vel ita deficiunt, ut crura proprium officium perficere nequeant; omnia quae circumstant, etiam pericula aspernatur, nil audit, nil videt nisi inimicum execratum, nil meditatur, nisi praedilectam ultionem. Quid mirum idcirco si tantae perturbationis nulla sint organa, quae non experiri possunt influxum? Et primum certe cerebrum hoc triste tributum persolvit. Mania, apoplexia, catalepsis, epilepsia, convulsiones, tetanus, syncopes et ipsa mors ab hac causa derivant. Notandum nunc est tantae concitationi statum depressioni respondentem succedere, quae tum functiones intellectuales et morales, tum musculares multatur. Hic tamen non reticeam quod frequentiores et sensiliores hujusce status effectus, in organa vitae vegetantis observantur. Vasa majora in aneurysmata extenduntur, vel improviso rumpuntur, ut Syllae contigit, qui vomitu sanguinis peremptus fuit. Ventriculus vel vomitu vexatur, vel inflammatione corripitur: hepar

icterum, hepatitidem inducit: glandulae salivares, humorem veneficum secernunt, et mammae ipsae dulcem laticem secernentes, exitialem emittunt humorem, qui misero infanti epilepsiam inducere potest, ut Boerhaave observavit. Haec fuit causa cur medici nonnulli adseruerint, praecipua pathemata sedem in organis vitae vegetantis figere. Tales medici cortice vero sistuntur, non in medullam penetrant: nam effectus sympathici cum idiopathicis confundunt, et tali pacto ratiocinantur ac illi, qui sedem tristitiae glandulam lacrimalem pronunciarunt, quia sub tali statu homines lacrimas fundunt.

Pavor, formido, metus, timor, terror, horror, pudor, compassio etc. ejusdem affectus gradus constituunt. Poenosam cerebri actionem denotant ab intuitu mali alicujus vel jam imminentis vel proximi, et ab adspectu malorum quae ens aliquod sensile adfligunt, inductam. Quis non agnoscit exitiales metus effectus? Tristis pallor totam cutem foedat; totum corpus contremiscit, sensatio peculiaris dolorifica praecordia exagitat: unde irregularis cordis ictus, abnormis et exilis pulsuum conditio, sensus, ratio silent; phantasia objecti reformidati noxas exaltat; nullum est desiderium voluntatis nisi a periculo se se subtrahere; sed quandoque voluntati vires non respondent: frustra labia verba proferre conantur,

frustraque crura fugam tentare nituntur: insciae faeces, urinae excernuntur et sanguis vivus, vasorum resistentia fracta, ex organo aliquo profluit. Vehementes hunc statum cordis palpitationes sequuntur; caput incalescit et dolet, viriumque animalium plus minusve duratura exoritur depressio.

Pudor hoc peculiaris habet, ut suavi rubore guttas castae puellae exornet, et hoc de compassione notandum, quod peculiarem in epigastrio sensum constrictionis inducat. Ne quis tamen credat omnino generosum esse, et in amore proprio suam radicem non figere. Ex eo aliorum dolorum adspectus nos quoque in compassionem trahit, quia mens instinctiva fere ratione illos dolores sibi ipsi refert, et tunc possibilitatem in eundem cadendi statum deplorat. Hinc evenit, ut majorem compassionem inducat illorum malorum intuitus, quae nobis ipsis quoque imminent, vel imminere credimus; ut senes etiamsi peculiarem erga omnes res indifferentiam manifestant, tamen amare mortem alicujus coaevi deplorant. Ex eodem fonte provenit, ut dolor animalium, quae ad nostram speciem magis accedunt, nos vehementer tangat, atque polypos, vermes et alia animalia inferiora absque ulla sollicitudine conculcemus.

Quantum vero inopinati terroris, formidinis diu protractae exitiales esse possint effectus, ne-

mo certe est qui ignoret. Hic tamen observandum quod cerebrum praesertim adficiant.

Quot sunt pueri qui epileptici evadunt ex terrore! Et forsan illi aetati hic adfectus solus nocere valde potest. Nec mirum, terror debilioribus convenit. Sed aliae adfectiones pariter cerebrales exsurgere possunt. Marcellus Donatus vidit infantem obire a duobus viris perterritum nigro indumento obductis. Mania, melancholia, hypochondriasis, tremores eandem causam agnoscunt. Ipsa quoque hydrophobia, quod certe mirum, ex eodem fonte proficisci potest. Narrat Georget duos fratres eodem tempore a cane morsos fuisse, et brevi tempore recuperata sanitate, alium ab alio se divisisse. Post decem annos vero cum ad horum alterum notitia pervenisset alium hydrophobia periisse, statim symptomata mortalis hydrophobiae in illo apparuerunt. Imo ulterius Bosquillon processit, qui virum hydrophobicum negando, omnem culpam hujusce teterrimi morbi in terrorem rejecit.

Tristities, moestitia, moeror, animi aegritudo, nostalgia etc. in hoc conveniunt, quod poenosam cerebri actionem exprimunt, dum ad mala praesentia cogitatio vertitur.

Tristities vero vel improviso exoritur, et tunc rapida ratione valetudinis leges perturbat, vel longo tempore infelicem adgrediens, sensim la-

bem minatur, et exitiales clam morbos praeparat. Phaenomena quae primum cerebri statum sequuntur, valde affinia sunt illis, quae a terrore inducuntur. Fixa mentis circa tristem objectum adplicatio, continua phantasiae in effectibus mali praesentis exaggerandis occupatio; animus valde protratus, motus lenti, debiles, tremuli; cutis pallor, sensus contractionis in regione scrobiculi cordis: unde Bordeaux, Buffon, diaphragma qua sedem oppressionis epigastricae credidit; vox debilis, intercisa; copiosus lacrimarum fluxus, singultus etc. internam luctam revelant. Digestio si jam inchoata, suspenditur; circulatio capillaris languet, pulsus debiles lentique fiunt, et brevis ac imperfecta respiratio ad frequentia suspiria hominem cogit. Quandoque vero infelicis eventus notitia, vel objecti alicujus intuitus homines veluti fulmine tactos prostrarunt. Aloysius (de Bourbon) sepulcrum sui patris aperire fecit, et absque vita remansit, cum cadaver amati genitoris aspexerit. Dominicus de Viae dolore suffocatur illac pertransiens, ubi Henricus IV spoliatus et occisus fuit. Philippus XI moritur, dum ad illum notitia pervenit, illius exercitum omnino profligatum fuisse. Nec alia desunt exempla, quae ostendunt intensitatem doloris occidere posse. Sic Horatius septem diebus post Maecenatem moritur. In omnibus vero huc recensitis,

tanta fuit centralis perturbatio, ut ad organa vitae sustinenda necessarium nervosum rumperet influxum. Verum frequentiores sunt casus quibus vita quidem superest, sed atroci nevrosi contaminata. Mania, fatuitas, hysterismus, hypochondriasis huic causae quam pluries nituntur.

Tristities vero lenta et protracta eosdem effectus, sed diversos quoad insensitatem et sequelas inducit. Frequens haec occurrit in mulieribus, quibus adversitates in rebus familiaribus accidunt vel per maritalia dissidia, vel per aliam quamcumque causam. Tunc habitualis exoritur moestities, loca solitaria quaeruntur, omnia quae prius in deliciis fuerunt, fastidiunt; insomnes transeunt noctes, cephalalgia generalis vel partialis insurgit, oppressio constans in regione praecordiali et epigastrica figitur; languent vires musculares; cutis pallore lurido foedatur; marcor gravissimus fit; oculi excavantur; physionomia habitualem moeroris expressionem adsumit; digestio fit poenosa; respiratio lenta, brevis; suspiria frequentia; menstrua supprimuntur; fluor albus exoritur.

Quoties vero medici hunc statum diverso nomine insigniunt, et causis hypotheticis referunt! Profundius vero oculos figant, dolorem ob venustatem amissam, ob delusa connubia, zelotypiam etc. existiment, et vera hujusce status cau-

sa patebit; illisque in mente recurret nil aliud omnia haec phaenomena esse, nisi perturbatae innervationis effectus, quae omnes tum vitae sentientis tum vegetantis functiones laedit, seriusque in gravem hysteriasim vel hypochondriasim degenerare potest, nisi praecipua causa morbi cognita amoveatur.

Huc certe non omnes, sed praecipuae nevrosium causae sunt collectae, et illae praesertim quae vel indole, ut ita dicam, minus materiali instructae, facilius oculos medici effugiunt, vel artificiose ab ipsis aegrotis occultantur. Ne quis vero nos frustraneum sustinuisse laborem dicat dum causas illas recensuimus, illarum quoque noxas disquirere conati sumus. Quod si cognitio causarum in omni morbo medici valde interest, hoc praecipue in nevrosibus locum habet. Quot ex illis aegritudinibus cum causis a quibus pendent, ita cohaerent, ut iis stantibus nullo pacto abigi queant, iis vero ablatis, sponte cessent? Nunquam idcirco in morbis nervosis attentio medici causas inquirere relinquat.

Alii contra luxuriae scientiae, magis quam exactitudini indulgentes, exiguum hoc opusculum qua valde imperfectum dijudicabunt, quia in causarum recensione permansimus, nec rationes quae organismum adgrediuntur, et a norma deflectunt, sat clare explicavimus. Illi qui hanc

culpam in nos rejiciunt, cogitent, nobis certas notiones solummodo sensus suppeditari, ibique hypothesium dominium initium habere, ubi sensuum imperium desinit. Quae hypotheses, nisi aliud damnum producerent, hoc certe efficiunt, ut intellectus humanus laboris impatiens, hisce contentus adquiescat, nec ulterius res indagare studeat. Quapropter in rebus medicis, melius est propriam ignorantiam fateri, quam luxuriantis phantasiae simulacris illa loca explere, quae vacua relinquit scientia.

THESES

I.

Nevroses classem morborum constituunt a morbis hypersthenicis et hyposthenicis distinctam.

II.

Ubi constans adparet alienatio organica, quae phaenomenorum causam sufficientem includat, ibi nevroseos excluditur idea.

III.

Omnia organa tum vitae animali, tum vegetanti inservientia, nevrosi laborare possunt.

IV.

Nullus adest morbus in quo cognitio causarum medici tantum interest, quantum in morbis nervosis.

V.

Maxima nevrosium pars causis occasionalibus ita cohaeret, ut his perstantibus subsistat, ut his ablatis sileat.

VI.

Inter elementa climatis temperatura vel nimis calida, vel nimis frigida, nevrosibus ansam praebent.

VII.

Nimius calor et nimium frigus iisdem morbis nervosis originem exhibent.

VIII.

Aeris siccitas nimii caloris et frigoris in gignendis morbis nervosis imminuit noxas.

IX.

Cretinismus est morbus, qui ab originario conformationis cerebralis vitio non pendet; sed vel motibus vitalibus cerebri perturbatis innititur, vel structurae vitio, at omnino arcano incumbit.

X.

Sexus femineus ab illius positione sociali, atque a perverso educationis methodo, magis quam ab aliis causis in nevroses impellitur.

XI.

Amor, praecipua nevrosium feminarum causa; hominum, ambitio.

XII.

Soli systemati nervoso notae characteristicae cujusque temperamenti sunt tribuendae.

XIII.

Tria solummodo temperamenta admitti possunt: sanguineum nempe, lymphaticum et nervosum: biliosum inter varietates temperamenti nervosi est recensendum.

XIV.

Inter substantias quae ore sumuntur, nullae adsunt, quarum abusus nervis magis sit infensus, quam opium, coffea et vinum.

XV.

Opium ſacultatibus intellectualibus, vinum ſacultati motrici praecipue insidiantur.

XVI.

Delirium tremens, nevrosis peracuta ab abusu spirituosorum inducta, opio, tuto, cito et jucunde sanatur.

XVII.

Morum cultura, progressus, nevrosium cerebralium numerum ingentem adauget.

XVIII.

Ridiculum est sedem pathematum in organis vitae vegetantis locare.

XIX.

Hilaritatis excessus facilius vitam extinguit, quam excessus moeroris.

XX.

Abusus et ſalsa religionis interpretatio in causa esse potest, cur nevroses proteiſormes oriantur.